

B. M. II, 110.

R. 24, 4.

(X 187 73 58)

II i  
2146

L.

2. D. B. V.

De

# Statu Religionis

in

# Germania,

DISSERTATIO HISTORICA,

Quam

IN ACADEMIA LIPSIENSI,

MODERANTE

DOMINO

L. ADAMO RECHENBERG, P.P.

D. XX. Maj. A. CHR. M. DC. XCIII.

Publice defendet,

CHRISTIANUS MUQVART,

Cala-Lufatus, A U T O R.

L I P S I Æ,

Literis FLEISCHERIANIS.

8.

ll



421.

18.

*Per-illustri atq; Excellentissimo*

DOMINO

DN. ERNESTO LUDOVICO

de POELNITZ,

Dynastæ in Bendorff, Rœpsen &

Kmehlen,

Sereniss. ac Potentiss. Electoris Saxon. Consiliario Intimo &

Cancellario splendidissimo, nec non Reverendissimi Capituli

Numburg. Præposito Eminentissimo, &c.

*Domino ac Mæcenati suo gratioso;*

Nec non

*Summe Reverendo ac Generosissimo*

DOMINO

DN. JULIO ALBERTO à ROHR,

Dynastæ in Elstervverda &c.

Sereniss. ac Potentiss. Electoris Saxon. à Consiliis Aulæ &

justitiæ, Reverendiss. Capituli Misnenensis Decano

Gravissimo, &c.

*Patrono itidem atque Mæcenati suo omni*

*honoris cultu prosequendo,*

Has studiorum Academicorum primitias, gratitudinis, observantiæ

& devotissimi cultus gratia.

D. D. C.

CHRISTIANUS Muquart/

S. S. Theol. Studios.





B. C. D.

## INDEX RERUM IN HAC DISSERTATIONE.

§.1.) Argumentum Dissertationis limitatur: 2.) Juxta temporum periodos distinguitur, & 3.) velut in epitomen constringitur. 4.)

PRIMA PERIODUS RELIGIONIS designatur. 5.) Eiusdem status ante Reformationem Lutheri corruptissimus. 6.) Occasio Reformationis Luthero data. 7.) Antagonista Lutheri quales? 8.) Eorum in Lutherum animus. 9.) Lutheri ausus Principibus Germania non ingratus. 10.) Lutheri actio in conventu Wormatiensi. 11.) Cur Caesar in exequendo edicto Wormatiensi paullo mitior? 12.) Et cur spem concilii habendi factam protraxit? 13.) Progressum Reformationis, tumultus rustici quodammodo impedièrunt. 14.) Caesar in Comitibus Spirensibus erga Lutheranos aequior: 15.) Sed in sequentibus, anno 1529. durior visus: ubi PROTESTANTIUM nomen primum ortum: 16.) His Caesar graviora minatur. 17.) Religio Protestantium inde periculo exposita: 18.) Sed in Comitibus Augustanis anno 1530. libere asserta & defensa. 19.) SECUNDA PERIODUS historiae Religionis. 20.) Pax Religionis indulta: 21.) Quae cum suspecta esset, occasio foederis Smalcaldici nata. 22.) Ejus foederis autores, ac 23.) infelix eventus. 24.) Hinc Religio Protestantium summo periculo exposita, quod INTERIM AUGUSTANUM auxit. 25.) Libertatem Religionis vindicavit Mauritius Elect. Saxon. 26.) Transactio Passaviensis & Pax Religiosa. 27.) Quam Pontifex R. improbavit. 28.) Reservatum Ecclesiasticum Protestantibus noxium. 29.) TERTIA PERIODUS RELIGIONIS. 30.) Concilium Tridentinum Protestantes rejecerunt

*runt in conventu Numburgensi. 31.) Zwinglius & Zwingliani Religionem Protestantium turbârunt. 32.) Item sectarum inter Protestantes nomina; 33.) Quae per FORMULAM CONCORDIÆ sublata: Hinc QUARTA RELIGIONIS PERIODUS. 34.) Nova Calvinianos inter & Lutheranos dissidia. 35.) UNIONIS EVANGELICÆ causa. 36.) Ei opponitur LIGA CATHOLICA. 37.) Belli Bobemici origo: 38.) Ejus progressus & successus EDICTUM adversus Protestantes de restituendis bonis Ecclesiasticis, pepererunt: 39.) Periculum inde Religioni imminens, Protestantes amoliri parant. 40.) Caesar Edictum suum justitiae nomine velat, & 41.) Executioni mandat, 42.) cujus exercitus praelio Lipsiensi profligatur. 43.) Victoria hæc Protestantium spes erigit. 44.) Bellum in Germania protrahitur: 45.) Per pacem Osnabrugensem tandem finitur, libertate Religionis iterum asserta & confirmata. 46.) Pax illa Palladium libertatis Relig. Protestantium. 47.) Pontifex R. pacem illam abolere molitur. 48.) Sed pace illa facta, tres Religiones in Germania publica libertate gaudent. 49.) Concordia cum Pontificia Religione frustra tentata: 50.) Item inter Protestantes. 51. Consilium pacis ecclesiasticæ conservanda recitatur. 52.) Dissensus in Religione per se non tollit concordiam civilem.*

§. 1.

**D**E STATU RELIGIONIS IN GERMANIA differtaturus, non attingam antiquiora tempora, quibus illa Gentilismo dedita, Christianam Religionem vel ignoravit plane, vel contempsit. Mihi enim tantum propositum est, fata statumque, quibus obnoxia Religio Christiana inde à tempore susceptæ a Luthero Reformationis fuit, exponere.

§. 2.

Et ne in diffuso hoc argumento forte confusio pariat nauseam, visum est certa temporum intervalla seu periodos designare, juxta quas enarratio hæc tum distingvi, tum ordinari rectius queat.

§. 3. Cum

Cum autem larga nimis & copiosa differendi materia nobis hic offeratur, sortis ego ac propositi mei memor, ex illa tantum potiora rerum capita, velut in epitomen constricta, delibabo; ne, quæ justus liber vix capit, compendiosa dissertatione temere nimis includere voluisse videar.

§. 4.  
Sit ergo *Prima Periodus seu intervallum* de primordiis Reformationis Lutheri, quæ in annunt 1517. incidunt, & inde continuata ad annum 1530. transeunt, quo Evangelicorum Confessio publica, Augustæ Vindelicorum, ita jubente Cæsare, fuit exhibita.

§. 5.  
Una quidem eaque Christiana ante Lutherum, à Caroli M. ævo in Germania obtinuerat Religio: sed quæ anilibus fabulis, frigidissimis ineptiis & supra paganorum penè idololatriam, superstitionibus impiis contaminari cœpta, parum veræ pietatis à Christo & Apostolis traditæ reliquum habuit. Mores præterea sacri ordinis à summo ad imum non minus exosi, quam corrupti & despecti erant; quod iste ruditate, segnitie, avaritiâ, luxuriâ & aliis vitiis esset inquinatissimus. Ne dicam, quod jugum Pontificis R. Principibus Germaniæ prægrave ac intolerabile amplius videretur. v. *Goldast. tom. i. constit. Imperial. f. 422. sequ. & 457. sequ.*

§. 6.  
Talis cum esset Religionis in illo tempore in Germania facies, fraterculus quidam ignobilis ex eorum grege, qui Dominicanus vocantur, *Johannes Tezelius Pirnensis*, Roma a Leone X. Papa in Germaniam missus, impudentissime animarum mercaturam faciebat. Proponebat enim iste vaniloquus propola verbis Pontificis, simplici & incautæ ple-

A 3 becus

beculae indulgentias peccatorum & scelerum non commissorum tantum, sed perpetratorum etiam adhuc, remittebat volentibus ea prius redimere & postea conari. Hujus mendacii *Martinus Lutherus* Theologus Wittebergensis, veritatis divinae studio & improbo peculatûs odio incensus, capita quaedam doctrinae de condonatione peccatorum in sacris literis tradita opponebat; arguens inutile animae fordibus remedium esse indulgentias, quas impostor ille per omnem circumferebat Misniam, ac supplendo Pontificis aëario per luxuriam exhausto concionabuntus divendebat. confer *L. III. Diplom. Papal. Leonis fol. 9. Sleidan. l. 1. Guicciardin. l. XIII. D. Strauchii Exercit. Exot. V. §. 21. sequ. & B. Seckend. Hist. Luther. l. 1. Sect. 12. §. 12.*

*§. 7.* Eam Lutheri disputationem novam ægerrime ferebat Tezelius, utque rem ad lucrum & prædam quasi faciendam Religionis specie inventam defenderet; suæ farinae homines, quorum argutiis & sophisticationibus plurimum confidebat, in Lutherum divinis literis subnixum, incitabat. Horum ratiocinandi compendium videbatur hominem objectâ Ecclesiae & Romani Pontificis autoritate protelare. At iste vir invicti animi, cum animadverteret Pontificem abdicato velut judicis munere, aperte in partes institorum putidarum mercium descendere, fundamenta autoritatis illius in sacris literis curatius rimari aggressus, deprehendit, nullum in iis extare argumentum. Itaque inde ad alia quoque dogmata, quæ Religionis capita propius attingebant, ac in Ecclesia Romana defendebantur, excutienda se vertit, quæ magnam partem lucro sacerdotum, aut imbuendis superstitione vulgi animis reperta, accusabat. v. *B. Seckendorf I Hist. Lutheranismi l. 1. & Epistol. Petri Mosellani ad Jul. Pflugium de disputat. Lutheri cum Eccio Lipsiæ a. 1519. habita. §. 8.*

§. 8. Excitatis ita per Lutherum ex veterano quasi Pontificio Germanorum animis, mirum, quantum turbarum monachi & sacerdotes passim in Germania excitarint. Quicquid enim texi calumniarum, quicquid convitiarum excogitari poterat, id totis plaustris in Lutherum & ejusdem doctrinae asseclas exonerabatur. Nam illi inveterata errorum assuetudine capti & altius in superstitiones delapsi hærebant, inane antiquitatis nomen crepantes, novam eamque pestilentissimam sectam Luthero auctore emergere clamabant. Quæ res ipsum Romanum Pontificem eò adduxit, ut Lutherum, ceu hæresium diu damnatarum auctorem excommunicaret, & quovis modo tollendum è medio existimaret pariter atque ediceret. *v. Lutb. tom. 1. Lat. Jen. f. 474. D. Strauchii Exercit. Exot. VI.*

§. 9. Principes verò Germaniæ jugi Pontificii dudum pertæsi, non invidente Cæsare Maximiliano I. virum divini plane animi fovendum censebant; quod veritatem cœlestem tenebris hæctenus involutam eruere, vitia cleri tangere & simul suam dignationem hæctenus Sacerdotum fastu propemodum proculcatam, vindicare strenuè nitentur. Legebantur passim Lutheri Scripta Latina & Germanica, quibus ille aut adversariorum suorum calumniis disputando respondebat, aut doctrinae Christianæ lucem indies accendebat majorem. *v. Abrab. Sculteti Annal. Evangel. Decad. 1. §. II.*

§. 10. At vivis exempto Maximiliano, novus Imperator Carolus V. à Pontifice & Sacerdotum turba appellatus, Lutherum ad Comitiam Wormatiæ indicta anno 1521. data publica securitatis fide evocabat. Qui cum intrepidus  
viam

viam ingressus W ormatia compareret, librosque suos, ut  
jubebatur, nisi convictus erroris retractare constanter ab-  
nueret, horribili edicti carmine promulgato proscribitur.  
*v. Acta W ormat. t. 2. Jen. Lat. Luth. Goldast. t. 1. Const. Im-  
per. f. 441. Sleidan. l. 3. de Stat. Relig. & Reip.* At Frideri-  
cus Sapiens Elector Sax. Lutherum in arce Wartburgensi  
receptavit & occultavit quasi, donec primi irarum motus  
confedissent.

§. II.

Cæsari vero, quò minus edicti sui adversus Luthe-  
rum, auctoritatem violentius assereret, tum favor in Fride-  
ricum Electorem, tum ingruens bellorum turbo obstiti-  
se videntur. Forte etiam *centum illa gravamina* apud *Gold-  
dastum tom. 1. Const. Imper. 457.* recitata, quæ Ordines Im-  
perii in conventu Norinbergensi adversus sedem Roman.  
& totum ecclesiasticum ordinem, oratori Pontificis R. an.  
1522. exhibuerant, ad leniora animum ejus flectebant con-  
silia: ut ipse Ecclesiæ potius, quam R. Pontificis rem agere  
videretur, malletque quod Lutherus ante & laudati jam  
Ordines Imperii sollicitarant, Religionis controversias  
communis concilii in Germania cogendi auctoritate poti-  
us, quam bello ac armis decidi.

§. 12.

Ast Cæsar postea, cum perspiceret, Pontificem nun-  
quam in novi Concilii leges descensurum, laxioribus qui-  
dem verbis spem concilii habendi fecit; sed protrahendo  
illam, neque Pontificem, qui à concilio maximè abhorre-  
bat, offendere, neque Ordinibus imperii, Lutheri præfer-  
tim partibus addictis, causam de voluntate sua conqueren-  
di, præbere voluit. confer *Pallavicini Hist. Conc. Trid. l. III.  
c. 7. sequ.*

§. 13.



10  
§. 13. Interim purior Evangelii doctrina latius per Germa-  
niam disseminata, passim incrementa cepit. *Cbyer. l. X. &  
XI. Chronic. Sax.* Et majora sumisset, nisi anno 1525. belli  
rusticani tumultus in Thuringia & Franconia per Thomam  
Müntzerum excitati, invidiam illi concitassent. Nam sa-  
crificulos non pudebat, novæ, quam vocabant Religioni  
imputare, quicquid crudelissimarum cædium hæctenus &  
cladium per rusticorum seditiones perpessa esset Germa-  
nia. Etsi Lutherus voce & calamo istorum hominum furo-  
rem summopere improbaret & etiam redargueret. *conf.  
Simon. Scharidii tom. II. fol. 131. seqq. & Sleidan. l. V.*

§. 14. Imposito illi bello per mortes autorum fine, Cæsar  
in Comitibus Spiræ anno 1526. habitis, iterum per legatos  
Principum de Concilio universali, vel Nationali celebra-  
do appellatur, sumtibus etiam ad rem istam oblatis. Ve-  
rum ipse quemlibet Ordinum circa Religionem ita se ge-  
rere jubebat, prout Deo & Cæsari id adprobari posse con-  
sideret. Ideo & imperabatur simul, ut nemo Religionis  
caussa alterum infestaret. *v. Recess. Imper. de dicto ann. §. 4.*

§. 15. Hanc Imperatoris indulgentiam, Lutheri dogmata  
amplexi, in sui favorem interpretabantur. Ideoque Pon-  
tificia idolomania passim abolita, liberius Ecclesias repur-  
gabant. Verum Maximus Imperator pertæsus quasi prio-  
ris consilii, bellique Gallici solutus cura, novis Spiræ anno  
1529. habitis comitiis, lenius istud decretum quasi antiqua-  
vit, duraque illa priora decreta contra Evangelicos urgendo  
edixit, ut ad veterem fidem Rom. Ecclesiæ redirent omnes.  
Contra quod Elector Saxonie Johannes, pietate & con-  
stantiâ insignis, Georgius Brandenburgicus, Ernestus Lu-  
ne-

neburgensis, Philippus Landgravius Hassiæ, Anhaltinus & alii, quibus adhæserunt civitates potissimum duæ Norimberga & Reutlinga, *protestabantur*; profitentes publicè talibus decretis, quæ fraudi esse possent doctrinæ veritatis cœlestis, se non assentiri, neque iis teneri velle. Atque hæc fuit origo & causa decantatissimi nominis & cætus eorum, ut qui a Rom. Ecclesia dissentirent, deinceps *Protestantes* appellati fuerint. *Sleid. Lib. VI. Cbytr. Lib. XII. Camer. in vita Melanchth. pag. 125. Hortled. Tom. I. l. 1. cap. 455. & D. Strauch. Exercit. Exoteric. VII.*

§. 16.

Missi etiam hanc ob causam ad Cæsarem tum in Italia agentem legati, qui de Decreto Spirensi coram moverent querelam. Sed Carolus V. qui in partes Pontificis transierat, foedusque etiam cum ipso de vi ac armis excindendis hæreticis jam fecerat; non sine minis adversus inobedientes, illos Spirensi edicto parere iussit. Quod ægre admodum tulere novi *Protestantes*, causis prolixè explicatis apud *Hortlederum Tom. I. B. Smalcald. lib. I. c. 6.*

§. 17.

In his animorum motibus Religio Protestantium magno periculo exposita videbatur; cum illi nec instructi à se ullis copiis, nec quicquam temere externorum auxiliorum adversus tantum Germaniæ, Cæsaris & tot externorum etiam Principum robur sperandum haberent. Quo accedebat, quod Saxoni Electori capiti Protestantium graviora Cæsar, nisi mature cum Rom. Ecclesia rediret in gratiam, interminaretur. At DEUS, cujus nutu & gubernatione tam ardua res ac perdifficilis gerebatur, hanc invictam voluntatem animis atque constantiam Principibus adspiravit; ut in hoc rerum discrimine eo alacriores, majoresque animos sumerent, quo magis humanis destituti videren-

rentur præfidiis. Nam cedere bonis & ipsum spiritum effundere parati erant, si veritatem cœlestem aliter tueri non liceret.

§. 18.

Et Deus, cujus auspiciis tam salutare negotium Religionis gerebatur, præsto fuit pressis jam Ordinibus imperii Protestantibus. Cæsar enim anno 1530. die 21. Januarii nova Augustæ Vindelicorum Religionis & belli Turcici causa, indixerat comitia, in quibus Protestantes & comparere & Religionis suæ confessionem edere publice jubebantur. Illi lubentes mandato Cæsaris parere, suæque Confessionis capita a Luthero & Melanchthone composita, die 25. Junii anni jam dicti Invictissimo Imperatori Carolo V. auscultantibus fratre Ferdinando Hungariæ & Bohemiæ Rege & cæteris Principibus atque Ordinibus Imperii, qui magna copia aderant, per Johannem Electorem Saxonie excelsæ memoriæ Heroem exhibuerunt, quam publice recitari Cæsar permisit. Sed post varias disceptationes decretum die 19. Novembr. non subscriptis Protestantium nominibus exivit, quo illa confessionis Formula rejecta, & reditus ad Ecclesiam Romanam, itemque restitutio ablatorum bonorum imperabatur, nisi arma expectare velent. Quæ amplissima Religionis actio a *Sleidano, Chytrao, Celestino & Camerario* copiose describitur.

§. 19.

Hinc ad *alteram*, quam constituimus, *Periodum* seu *intervallum Religionis* progredimur, ostensuri, quæ fata Religionem post exhibitam Aug. Confessionem, usque ad Pacem religiosam, anno 1555. Augustæ conclusam, in Germania manserint.

§. 20.

Ac majus jam Protestantibus ob Religionem immi-

B 2

nerere

nere periculum videbatur; nisi Cæsar metu belli Turcici, pacem Religionis interim Norinbergæ factam, Ratisbonæ in comitiis anno 1532. confirmasset. Ejus declaratio postea ac innovatio Francofurti anno 1539. facta est. In comitiis Ratisbonensibus anno 1541. habitis, cum frustra de Religione iterum actum esset, res ad concilium rejiciebatur. Interea tamen suspensione edicti Augustani & Jurisdictionis cameræ Spirensis, Protestantium, ne Religionis causa gravarentur, securitati cavebatur. v. *Hortleder. de C. B. G. l. 1. c. 10. 11. 12. & Goldast. 1. 1. const. imper. p. 511.*

§. 21.  
Suboluerat vero jam dudum Protestantibus, pacem hanc suspectam minusque firmam fore; cum Cæsari subinde a Papa Rom. & Sacrificulis ingereretur, hæresin extinguere novam, pertinere ad officium Imperatoris. Itaque Principes Protestantes semel atque iterum Smalcaldiæ convenere, formulam fœderis pro defendenda Religione, conscripturi, quæ a. 1536. & sequenti renovata fuit, Articulis etiam novis à Luthero compositis, qui, si forte concilium haberetur, exhiberi debebant.

§. 22.  
Fœderis illius Smalcaldici capita erant Johannes Fridericus Elector Saxoniae & Philippus Landgravius Hassiæ. Cui Cæsar Carolus, Rex Ferdinandus & Principes alii Catholici contrarium fœdus (*Catholischen Gegen-Bund*) a. 1538. Norinbergæ opposuerunt. Sed Albertus Moguntinus & Ludovicus Palatinus ostentato ancipiti certamine & metu Turcæ, divisæ in se Germaniæ incubituri, rem ad compositionem tantisper diduxere, quam Cæsar ratam habuit, liberum Concilium ocyus indicendum promittens.

§. 23.  
At minus tuta illa compositio fuit; cum Cæsar impulsu

pulsu Papæ Pauli III. de bello invadendis Protestantibus, consilia haut obscura agitaret. Quare Fœderati vicissim, si qua ob Religionem vis intentaretur, ad eam repellendam arma animosius comparabant, exercitu ad centum millia hominum conscripto. Instabat annus 1546. cum Cæsar belli vera causa, quæ Religio erat, dissimulata, causas ferret multiplicem fœderatorum contumaciam & rebellionem & læsæ majestatis crimen: Quod Imperii Principes Henricum Brunsvicensem & Julium Episcopum Numburgensem ditionibus suis exuissent & ejecissent, multaque alia contra leges imperii deliquissent. v. *Goldast. Part. XVI. Reichs-Händ. tit. 3. Hortled. l. 3. c. 1. 2. 3.* Protestantes vero culpam hanc ante deprecantes, justitiam suorum armorum pro tuenda Religionis libertate, arma corripunt. Et, si primo statim impetu; cum nondum vires contraxisset Imperator, hostilem exercitum illatis signis invasissent, haut dubiè castris exutis, Cæsarem profligare potuissent. Enimvero prima hostis debellandi occasione dimissa, cum Ratisbonæ & Landshuti & apud Ingolstadium Cæsarem opprimere potuissent, multitudo ducum & dissensus ipsis exitio fuit. Nam Imperator comparatis interim copiis, cum Turca induciis, pace cum Galliarum Rege initis, Papa valida auxilia & auri vim in bellum suppeditante, illi sustinendo non tantum par erat, sed exercitum quoque Protestantium prælio magis quam bello idoneum postea profligavit. Præsertim cum inter Protestantes jam aliqui Principes in Cæsaris partes digressi essent, ipse fortuna & celeritate usus, Saxonem apud Müllbergam nactus prælio vicit, captivumque duxit: cujus constantiam, magnumque in adversis animum etiam hostes admirati sunt. Omnia enim sua victori cedere coactus, nullo tamen mortis metu, ut conditionem de Religione

adpositam admitteret, adigi potuit. Landgravius Hassiæ quoque Philippus intercedentibus Brandenburgico Electore & Mauritio novo Saxonix Electore, Cæsari supplicatus, contra promissam fidem detinetur. v. *Tbuan. l. 2. § 4.*

§. 24.

Quo infelici belli eventu, res Protestantium quibusdam prope occisa & interfecta, ac tantum non triumphata videbatur. Nam clades illa memorata, quicquid foederatorum fuit, dispulerat. Et Cæsar dum victor omnia pro lubitu in Germania agebat, de novo conciliandi Religionis controversias remedio, in comitiis anno 1548. consultavit, in consilium adhibitis Julio Pflugio, Michaële Sidonio & Johanne Agricola, quos temperatam quandam fidei Formulam INTERIM observandam, donec in concilio res decisa foret, conscribere jussit. Quam postea omni arte Protestantibus, minis etiam adjectis, obtrudebat: Ut ubi semel de dogmatibus suis Evangelicis remisissent, gradatim demum eò, quo tendebat Cæsar, deduci possent. Verum *Formula illa INTERIM* dicta neutri dissidentium parti adprobata, turbarum & querelarum novarum affatim attulit, ut callidi hujus consilii ratio & spes Cæsarem frustra haberent. v. *Petri Suavis Hist. Conc. Trid. p. 323. sequ. Sleid. l. 20. Maimburg. Hist. Lutheran. l. 5. Camerarium in vita Melanchth. § Hortled. l. IV. c. 29. 169. 265.*

§. 25.

Divino certe credimus auspicio accidit postea, ut Mauritius novus Elector Saxonix, Princeps heroici plane animi, haut sibi diutius ferendum existimaret, Religionem & libertatem Principum Germanix opprimi. Præsertim cum altissimam animo concoqueret indignationem, Landgravium Socerum suum, contra datam fidem in custodia detineri & duriter ita haberi. Itaque foedere cum Rege Gal-

Gal-

Galliæ clam inito, citato agmine in Imperatorem, prudenter rebus ante dispositis, anno 1552. duxit exercitum: ut parum abesset, quin ipsum securè agentem, Oeniponte opprimeret; cum ex altera parte Henricus II. Rex Galliæ infesto exercitu transgressus in Germaniam, Metim, Tullum & Verdunum ex improvise cepisset. Enimvero bellantibus sese statim medium, ceu arbitrum ingerebat Ferdinandus Rex frater Cæsaris, ad amicam compositionem dissidentes deducturus. Nec frustra fuit illa molitio pacis, cum Mauritius ab æquis conditionibus se non alienum ostenderet, indignante licet Gallorum Rege, fœdere tum sibi juncto. *v. Sleidan. L. XXIV.*

§. 26.

Ferdinandus igitur eo rem prudenti consilio perduxit, ut tandem de pace, Passaviæ anno 1552. hac lege transigeretur, ac, dum certa rei componendæ ratio proximis comitiis iniretur, salva interim Religio foret Protestantium. Hinc Comitiis Augustæ Vindelicorum, anno 1555. indictis, *Pax*, quam *RELIGIOSAM* vocant, conficitur: qua sacris Protestantium amplissimè cavetur his conditionibus; ut sua utrique dissidentium parti Religio sarta tecta que relinquatur; ne partes se invicem obtentu Religionis infestent, lædant, aut ad eandem ejurandum adigant: Bona ecclesiastica, hæcenus à Protestantibus occupata, penes ipsos maneant, nec in occupatores eò nomine apud tribunal Spirense actio detur: Episcopis nulla in A. Confessione addictos jurisdictio sit, sed ipsis circa sacra sua disponere liceat: ne quis alteri subjectos, in suam Religionem pertrahat, eorumque defensionem hoc nomine suscipiat. Subditis tamen diversa à suis Principibus sacra amplexis liberum sit, bonis suis divenditis aliò migrare. Si dissidium Religionis per licita media non componatur, pax istæ in  
per-

perpetuum, quippe in Imperii leges relata, duret. v. *Recess.*  
*Imper. anno 1555. §. 15. 16. seqq.*

§. 27.  
Sed quo lætior hæc *Pax* Protestantibus fuit, eò magis Pontifex Roman. indignabatur, quod non sine levi jactura commodorum & bonorum Ecclesiæ libertas Religionis Protestantibus publica lege, & quidem se inconsulto, indulta fuisset. Enimverò Cæsar & Ordines Imperii, quibus salutis Germaniæ cura propius incumberebat, insuper habita Væjovis Romani indignatione, Germaniæ bellis intestinis hæctenus laceratæ, tranquillitatem firmare magis studebant. confer *Burckardi Autonomiam & Goldasti Politic. imperial. P. XXX.*

§. 28.  
Unum tamen in pace isthac grave & intolerandum Protestantibus videbatur; quod Ferdinandus Rex velut pro imperio in favorem Pontificiorum, decreto Comitiorum interuisset; ut si Præsul Catholicus Protestantium Religionem amplecteretur, munere seu dignitate sacra ac bonis simul excidat, illæsa tamen existimatione. Quam clausulam (*Reservatum Ecclesiasticum* vocant,) Protestantes in magnam suæ Religionis contumeliam redundare asseriebant; ac ideò in illam consentire abnuebant; quod præviderent, obicem sic Episcopis catholicis poni, ne ad nostra facilè transirent sacra. *vid. Recess. imper. cit. §. 18. & D. Strauchii Exercit. Exoteric. XIV.*

§. 29.  
Pace tamen interea facta, Religio Evangelicorum libertate fruebatur publica. Quæ utinam non per artes tum Pontificiorum, tum intestinorum hostium molimina, variis modis fuisset turbata aut infestata. De quibus nunc pauca ulterius, *nova periodo historiz* constituta, com-  
me-



memoranda veniunt. *Ejus* igitur, quæ *tertia* est, initium à dicta pace Religiosa faciemus, eamque ad annum 1580. quo *Formula Concordia* Lutheranorum publicata fuit, extensuri, tum Pontificiorum, tum Zvinglianorum, tum denique Pseudo-Lutheranorum circa Religionem gesta, breviter attingemus.

§. 30.  
Pontifex, ne morem in Ecclesia veteri usitatum componendi Religionis controversias planè tandem rejecisse, aut aspernari voluisse videretur; ad concilium Tridenti anno 1545. indictum, Protestantes eo ambitiosius invitabat, quod constaret, nunquam ipsos ejusmodi conciliabulo, quale ibi instruxerat, causam suam submissuros esse. Et habebant sane Protestantes causas gravissimas, quas publicis scriptis etiam evulgarunt, cur legatos suos ad id mittere recusarint. v. *Hortled. l. 1. c. 43. & 44.* &, qui arcana ejus concilii detexit, *Paulum Sarpium, in hist. conc. Trident.* magna hac de causa odio habitum, & a Pontificiis ad cædes usque & sicas exagitatum. Cardinalis *Pallavicini* longo tempore post, duobus tomis, eandem historiam conscribere aggressus, multis calumniis laudatum Sarpium oneravit, a quibus *autor censura de tribus conc. Trid. historicis Amstelodami a. 1662.* editæ illum vindicavit. Fuit ea de re, postea cum concilium protraheretur, inter alia, in conventu Numburgensi an. 1561. a Protestantibus Principibus congregatis actum. Ad quem, ipse Pontifex Rom. Joh. Franciscum Commendonum Cardinalem, & Zachariam Delphinum legatos misit; qui tamen non admissi discesserunt. Interea A. Confessionis formula, quam Melanchthon privato ausu ante mutaverat, ad authenticum invariata exemplar correctæ, nova subscriptione denuo confirmata & publicata fuit. Præsertim, cum anno 1559. Pontificii Augustæ

C

stæ

stæ, Protestantibus non sine opprobrio objecissent, eos non  
*Confessionem, sed confusionem* sequi. v. *Cbytr. Chronic. Sax.*  
*l. XX. p. 585. seqq. & Antonii Mariae Gratiani Episcopi Amerini*  
*de vita Job. Franc. Commendonii l. 2. 3. 4.* Magnum & mox sta-  
biliendæ iterum Monarchiæ Papali momentum attulit  
nova Jesuitarum, autore Ignatio Lojola, orta societas; quip-  
pe cujus præcipuus scopus fuit, per novas artes causam  
Pontificiorum in crustare. v. *Histor. Jesuit. Ludovici Lucii.*

§. 31.

Interea vero Religioni Protestantium incommo-  
dum, imo noxam attulit Zvvinglius cum sectatoribus suis:  
quod circa interpretationem verborum Christi in sacra-  
cœna usurpatorum, a Luthero primum, qui illis simplici-  
ter inhærendum merito censuit, figuras comminiscens dis-  
sensisset, & mysterium tantum, rationi magis & sensuum  
judicio adaptare voluisset. Hoc dissidium tantas eundo  
vires acquisivit, ut in apertum schisma inter Protestantes  
tandem erumperet. Equidem Landgravius Hassiæ Phi-  
lippus, aliquot colloquiis indictis, præcipue Marpurgensi,  
Lutherum inter & Zvvinglium omnem operam navave-  
rat, ut concordiam Ecclesiæ reduceret necessariam: ne  
rebus Protestantium in partes distractis, Pontificii divisis  
inter se adversariis, prævalerent. At irritatis semel animis,  
dissensus ille se latius magis diffudit. Præsertim cum post-  
ea Johannes Calvinus & Theodorus Beza, Zvvinglii sectam  
secuti, horrenda de æterna Dei prædestinatione dogmata  
spargerent, ac adeo errorem erroribus cumularent. Ex eo  
tempore, magno utrinque animorum fervore ad nostram  
usque ætatem de Religione certatum est: Ut reconcilia-  
tionis media, a quibusdam per colloquia diversa tentata,  
frustra fuerint omnia. v. *Acta inter Landgravios Cassellan.*  
*& Darmstadiens. impressa.*

§. 32.

Multi etiam sub Lutheranorum nomine latentes Pseudo-Lutherani, sectas pepererunt novas, quæ maligna Pontificiorum calliditate, ad Lutheri invidiam referebantur. *Schlüsselburgius* ingentem earum catalogum contexit, quo origines istarum pariter ac falsa dogmata recenset atque confutat. Exciatis sic semel litibus in Religionis negotio, novæ semper ortæ sunt. Noxia tamen maxime fuit illa Anabaptistarum factio; utpote quorum ipsa doctrina adversus magistratum politicum rebellis erat. vid. *Lamberti Hortensii Histor. de tumultibus Anabaptistarum.*

Eas, cum Evangelicæ Religionis statum in Germania passim turbassent, sapientissimus Elector Saxon. Augustus, in consilium vocatis præstantissimis Theologis, condita atque 1580. publicata FORMULA CONCORDIÆ, consopire laboravit. Quamquam multi postea Calvinii placita amplexi, novas contra laudatam Formulam controversias movere molirentur. Quos *Hutterus* Theologus gravissimus, in *libro*, cui *Concordia concors*, nomen impositum, refutavit. v. c. 15. 19. 20. Multas ante turbas Wittebergæ & Lipsiæ dedere Crypto-Calviniani, quos Philippistas etiam vocarunt. vid. *Hist. carcerum Peuceri.* Hinc *quartam* ordinare *Periodum Religionis* placet, quæ a publicata Form. Concordiæ, ad Edictum a Ferdinando II. Imperatore adversus Protestantes, an. 1628. promulgatum, porrigitur.

Calviniani tamen, cum Pontificii juxta ac Lutherani contenderent, pacem Augustanam Religiosam ad ipsos ceu ab invariata Aug. Confessione dissentientes non spectare; sub initium hujus seculi jam præcipitantis, & dogmata sua publicis scriptis defendere, & separata per consilia statum.

Religionis suæ firmare magis laborarunt. Quæ dissidia passim animos dissidentium ita exacerbarunt; ut Lutheranorum Doctores Palatinatu, & inde Marpurgo, ac vice versa, Calviniani Electoratu Saxoniae expellerentur. Principes quidem hac in parte paullo leniores, Reformatos (ita enim Calviniani audire malebant) in conventibus Ordinum ad deliberationes super communi securitate & negotiis sacra spectantibus admiserunt; sed ut velut precario sub ipsorum patrocínio & privilegiis delitescerent. Ceterum, de Religionis Reformatorum initiis & progressu, magna cum cura *Hottingerus in Hist. N. T. Eccles.* egit. Sed cum aliquando suarum partium studio ducatur, incorruptius illa e *Sleidano & Tbuano* haberi potest.

§. 35.

Quæ res, Calvinianos pari cum Lutheranis jure & securitate gaudere volentes subegit, ut statum suæ Religionis munituri, de fœdere inter se ineundo consilia agitent. Præsertim cum inchoante hoc seculo, Pontificii Reformatos premerent ac Lutheranis etiam insurrarent, Calvinianos invalescentes utrique parti insidiari atque exitium moliri. Fœdus illud *Unio Evangelica* vocabatur. Cujus auctor & conciliator præcipuus fuit Elector Palatinus Fridericus V. Causæ hujus præcipuæ allegabantur, ut importunos processus in aula Cæsaris & Camera Spirensi sibi intentatos amoliri possent, per quos obtentu administrandæ justitiæ Sacra, libertas & fortunæ ipsorum evertantur: Ut injurias, quæ adversus leges pacis Religioni concessæ sibi inferrentur, repellerent, quibus remedium adhibere Cæsar tot precibus licet sollicitatus negligeret, & quæ similes erant rationes, quas *Pufendorfius in Hist. Rer. Suecicar. c. 1. §. 28.* in compendium redegit.

§. 36.

§. 36.

Huic UNIONI Pontificii, congressu Würtzburgi indicto, anno 1610. foedus, quod LIGA CATHOLICA vocabatur, opposuerunt. Hoc eo spectare ferebant, ut sacra sua ac ditiones in Germania, si qua vis aut injuria inferretur, in tuto collocarentur. Caput ejus Maximilianus Bavariæ dux, vetus Palatini æmulus constituebatur. Inde suspicio & diffidentia inter diversæ Religionis asseclas in Germania major nata, quæ belli universæ Germaniæ luctuosi præfagia certissima fuerunt. Quanquam a. 1613. in comitiis Ratisbonensibus Pax Religionis denuo repetita & confirmata esset. v. *Recess. Imp. de dicto anno §. 4.*

§. 37.

Exarsit illud non multo post, hætenus quasi sub doloso cinere delitescens, atque in Bohemia primum in flammam erupit; cum Fridericus V. Elector Palatinus, an. 1620. se contra Ferdinandum II. Imperatorem, Regem Bohemiæ creari passus esset. Nam victo mox ac proscripto Friderico, bellum quidem contra illum & qui partes ejus tutabantur, in Germania geri prætendebatur. Sed dum Ferdinandus II. juratus Protestantium hostis, Lutheranos Concionatores ex Bohemia & Austria, sprete Saxoniam Electoris intercessionem, (cujus tamen auxilio Rex Bohemiæ factus erat) ejiceret; omnes facile animadvertabant, quo belli istius continuatio tenderet: Nempe excidium Religionis Protestantium subdolis Jesuitarum artibus in Germania parari. Præsertim cum arma Cæsaris postea & Ligistarum prospero gauderent successu, quem Sacerdotes Pontificii, justissimi belli adversus hæreticos argumentum asserebant. confer *Actorum Dillingens. compos. Pacis & Fr. Burckardi Autonom. it. Gravamina Stat. Evangelic. anno 1646. Tractatoribus pacis exhibita.*

§. 38.

§. 38.

Clarius sane mox adparuit, quo tot Pontificiorum, molitiones hactenus aculeatis scriptis adversus Protestantes prodita, tenderint. Nam Ferdinandus II. Cæsar d. 6. Mart. anno 1629. instinctu Jesuitarum, vi nitens sua, EDICTUM illud FERALE de restituendis bonis ecclesiasticis post transactionem Passaviensem a Protestantibus occupatis promulgavit; quo Religionis juxta ac libertatis Protestantium oppressionem quæri, omnes judicabant. Hinc *Quintam Religionis periodum*, quæ ad Pacem Osnabrugensem a. 1648. conclusam extenditur, constituere nobis commodum videtur.

§. 39.

Certe intra seculi spatium, Religio Protestantium, non in majus adducta periculum videbatur, quam hoc ipso tempore. Cæsar maximis & fortissimis copiis nitebatur, valido Ligæ exercitu instructus, universæ Germaniæ & vicinis etiam metuebatur. Protestantes contra viribus exhausti impares tantæ potentiæ erant. Quare post humillimas deprecationes & querelas super edicti iniquitate frustra apud Cæsarem factas, Elector Saxo Caput quippe Protestantium in Germania fortiora consilia capeffens, arma vi injustæ opponenda censuit. Hac de causa anno 1630. plerosque Protestantium Ordines Lipsiam invitat, cum ipsis de vi injusta propulsanda consultaturus. Et omnes qui convenerant, habita matura deliberatione, lubentes in subsidia & auxilia libertati tuendæ necessaria consenserunt.

§. 40.

Cum autem Cæsar sub pietatis & justitiæ vocabulo exitiales conatus venditaret, caussatus Protestantes ab Augustana Confessione defecisse, ac adeò pacem Religioni con-

concessam ad ipsos non amplius spectare; ad spolia Passaviensi conventionē condonata, nova subinde adjecisse; Passaviæ transactum ob spem finiendarum per Concilium controversiarum; eam spem fefellisse: Nullum usurpationum finem fore, si nunc denuo ad novam transactionem admittantur. Hos inquam vanissimos edicti prætextus Elector Saxo tum per Theologos tum JCtos suos confutavit ante, quam arma corripere justissima.

§. 41.

Cæsar tamen sprete juris autoritate, executioni edicti promulgati incumbit, factoque jam in urbe Augustana, abs quâ Protestantium Confessione nomen inditum, initio, latius per Germaniam progreditur, ac Magdeburgum, in quo coërcendis Saxonix & Brandenburgi Electoribus, maximum momentum positum videbatur, expugnat, diroque modo excidit. Hinc laudati duo Electores, videntes jam jugulum suum peti, cum immortalis gloriæ Heroë Gustavo Rege Sveciæ, foedus pro defendenda Religione & libertate cudunt, armaque expedire instituunt.

§. 42.

Dum vero interim Tillius exercitus Cæsariani & Ligistarum dux vaferimus, Saxonix Electoris ditiones invasisset; ipse Deo confisus, rem anno 1631. prælio ad Lipsiam commisit. Quo, juvante Deo, Protestantes victores facti, libertatem Religionis veræ strenue vindicarunt, hoste acerrimo, quem Pontificii invictum statuebant, fuso, fugato, castris & præda omni exuto. Hinc quicquid erat Protestantium, animos iterum sumsit excutiendo Cæsaris & Pontificis R. jugo Germaniæ intentato.

§. 43.

Victoria isthæc admirabili Dei beneficio ac ope concessa, spes Pontificiorum de opprimenda Religione evertit

tit & Protestantium erexit iterum, certissimo documento posteritati futuro, habere successus aliquando improbitatem, latari perpetuo & exultare non posse: Deum quos pro meritis suis plectere vult, primum secundare arma, ut gravius ruant deinceps ac discant, ipsum Religionem veram eo tempore maxime tueri, quo gravius premitur aut exitio videtur proxima. Quapropter etiam merito dices illius victoriae, qui in VII. Nonas Septembris incidebat, votis, gratulationibus & precibus a Protestantibus destinatus, aeternaque divini beneficii memoria dignissimus iudicabatur.

§. 44.  
Cæsar & Ligistæ, ob tantam sibi cladem præter opinionem illatam valde dolentes, statim quidem reparare damnum moliebantur: ut improbo voto alia forte via potirentur. Præsertim cum in sequenti anno, in prælio Lützensi Rex Gustavus occumberet victor omni elogio major. At dum bellum varia fortuna in Germania postea trahitur exiguo Cæsaris & Pontificiorum commodo, viribus tandem utrinque fessi, ad pacem inclinabatur.

§. 45.  
Quæ post varias utrinque susceptas deliberationes, Osnabrugæ an. 1648. conclusa fuit. Hac non tantum pax religiosa ante seculum fere Augustæ Protestantibus indulta, denuo confirmata; sed etiam nova illi libertatis firmamenta adjecta sunt, quæ ARTICULO V. INSTRUMENTI PACIS dictæ memorantur. Præcipue vero qui inter Protestantes *Reformati* vocantur, eadem pace ac libertate in Germania *Artic. VII.* frui simul iussi sunt omnes.

§. 46.  
Sane pax illa, cor & Palladium libertatis Protestantium Religionis merito dicitur. Nam hac effectum est, ut



ut sacra libere iterum obire, cœlestem veritatem profiteri, pietatem tueri, excusis conscientiaë vinculis hæctenus omnibus late per Germaniam injectis, liceret Protestantibus.

§. 47.

Pontifex quidem Romanus Urbanus VIII. eò audaciæ (an dicam vesania) processit erat, ut non dubitaret per legatum Fabium Chisium, Episcopum Neritonensem ac postea successorem, Alexandrum VII. appellatum, contra illam publice protestari, ac si regno suo perfidia ista maximum afferret præjudicium; sed etiam Bulla promulgata & Viennæ templorum foribus affixa, eandem abrogare moliebatur. Verum Iustus Germanus sub nomine *Ludovici de Montesperato*, H. *Conringius Animadversione in hanc Bullam*, & Theologus Batavus, *Hoornbeckius* eam confutarunt.

§. 48.

Facta hinc & confirmata pace Osnabrugensi, in Germania tres Religiones, quæ *magna* dicuntur, publica securitate frui cœperunt. Quæ licet differant maxime, fuere tamen, qui Pontificios inter & Protestantes concordiaë in eundæ rationes proposuerunt; ut remissa non nihil utrinque sententiæ pertinacia, communi utriusque consensu fraterna quædam necessitudo ab ipso Christo commendata sanciretur, ac singuli utriusque partis, pro membris unius cœtus Christiani haberentur. Enimvero qui veræ Religionis Christianæ indolem ac statum intimius considerarunt; consilium hoc tum iniquam, tum intempestivum, plane ac noxium esse, demonstrarunt. Quia non est in hominum potestate, de veritate cœlesti revelata cum adversariis eandem impugnantibus transigere.

§. 49.

Et sane si quis statum Pontificiæ Religionis expendit

D

dit

dit animo, cujus scopus est Monarchiam Papæ R. ecclesiasticam stabilire magis, facile deprehendet; quod, qui illi adversantur, non possint cum iis in gratiam ullo modo redire; nisi quæ illius status axiomata ac dogmata sunt præcipua, simul adprobare, suæque Religioni velut nuncium mittere velint. Quanquam talis concordia consilium, quod *syncretisticum* appellari sivevit, Pontificiis ob multas causas ingratum esse nequeat; Cum eo multi Protestantes jam inducti in castra eorum transierint, fortunæ melioris forte spe alliciente. v. *illustris Pufendorfi tractatum de Monarchia Pontificis Rom.* elegantissimum.

§. 50.

Deinde & inter Protestantes via concordia Ecclesiasticæ tentata fuit. Quæ licet quibusdam minus ardua aut difficilis visa est; non uno tamen documento compertum fuit, ejusmodi studium valde intempestivum esse. Imo prudentiores observarunt, non tantum inde majores inter utramque partem contentiones enatas; sed quoque verendum esse, ne dum jam in duas sectas abierunt, isthoc consilio id tandem efficiatur, ut in plures in posterum scindantur. Quemadmodum jam diversa nomina, quibus pacifici à rigorosis Theologis discernuntur, in Ecclesiis Protestantium notissima sunt.

§. 52.

Tutius itaque in hac animorum circa Religionem distractione videtur eorum consilium, qui suadent, ut utraque pars sinat alterum sacra sua obire, ceu pax Osnabrugensis supra laudata, ac regulæ etiam charitatis Christianæ exposcunt. Quod sperare licet, si ecclesiæ pariter ac scholis viri non minus doctrina solida, quam vita inculcata ac sancta conspicui præfiantur: ut, quorum vitam & mores doctrina salutari formari debent, exemplo etiam sancti-

sanctitatis præluceant suo, persuasum habentes, Deum non minus intimiori dogmatum scientia, quam promotio animi obsequio coli.

§. 52.

Cæterum ut consensus in Religione non tollit æmulationem inter gentes diversas; ita dissensus circa diversa doctrinæ placita, per se non tollit concordiam civilem, qua opus maxime est, si a Pontificiis propter Religionem Protestantes iterum infestari contingat. Pari enim affectu illos erga utramque Protestantium partem ferri, historia belli Germanici supra commemorata quemvis docere potest. Quapropter pax & concordia in Ecclesia, quidem ab omnibus merito Christianis desideratur; sed an diverso animorum habitu considerato sperari queat, id est, de quo prudentiores viri hætenus valde dubitarunt.

Nos id Deo, cui Religio nostra curæ est, permittimus, eique soli omnem tribuimus

GLORIAM!

---

PRÆSTANTISSIMO JUVENI,

CHRISTIANO MUQVARTO,

S. P.


**A**D vulgares multorum, qui S. Theologiæ operam navant, errores referendum est, quod dum Christianæ doctrinæ capita, & quæ super illis agitantur, controversias, in Academiis discunt, historiæ religionis studium fere insuper habeant aut negligant; cum tamen sine ejusdem cognitione, nec origo nec momenta controversiarum in Ecclesia Protestantium ultra seculum motarum  
fatis

ax 112/46  
satis intelligi, aut etiam decidi queant. Cujus erroris causas indagare, vereor, ne nimis hic prolixum futurum sit. Alio jam loco ac tempore illas tetigi. Tuam igitur potius *humanissime* MU-  
QVARTE, industriam commendare hic fas est; quod, cum hac in parte rectius sentias, historiam Religionis nostræ, meo ductu, velut in compendium constringere instituisti; ut quos colis, studiorum patronis maximis testimonium diligentia publicum exhiberes. Illustre quidem hoc fateor, & copiosum valde argumentum est, cui tractando decora ingenia vix sufficiant. At vero, qui sortem tuam & honestum vitæ ac studiorum propositum non ignorant, hunc conatum juvenilem spero, non improbabunt. Nam in magnis etiam voluisse, sat est. Si perrexeris hac linea & cœptum feliciter cursum, quod minime dubitamus, strenue urseris, Ecclesia opera tua non sine commodo olim uti poterit. Quod, ut eveniat, DEUM O. M. ex animo precor. Vale & rem feliciter gere! Deproperab. Lipsiæ XIV, Maji MDCXCIII.

*Tui*

*studiosiss.*

A. RECHENBERG.



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

**KODAK Color Control Patches** © The Tiffen Company, 2000

**Kodak**  
LICENSED PRODUCT

Blue 3/Color Black

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

*excellētissimo*  
 N O  
**LUDOVICO**  
**NITZ,**  
 rff, Rœpfen &  
 len,  
 Saxon. Confiliario Intimo &  
 non Reverendisfimi Capituli  
 Eminentisfimo, &c.  
*nti suo gratiofo ;*  
 on  
*ac Generofisfimo*  
 I N O  
**ERTO à ROHR,**  
 ervverda &c.  
 Saxon. à Confiliis Aulae &  
 tuli Mifenenfis Decano  
 o, &c.  
*Mæcenati suo omni*  
*rofequendo,*  
 nitias, gratitudinis, obfervantiæ  
 ltus gratia.  
 c.  
**IS Muquart/**  
 studios.

